



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

2. Maritus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

protestatione præmissa non utendi illis tanquam vanis; media autem licita, per quæ maleficium aufertur, sunt ea, quæ Ecclesia ordinavit, ut exorcismi, opera pœnitentiæ, sacramentorum receptio ad placandum Deum, *lib. 7. disp. 95. à nu. 1. vsque ad 5.*

8 Nullo modo licet petere à malefico parato solutionem maleficij maleficio; secus dicendum, quando maleficus plura media nosset, quædam licita, alia verò illicita. Et quando sit dubium, an maleficus sciat aliquod medium licitum, tunc nunquam, licet, *l. 7. disp. 95. à nu. 6. vsque ad 14.*

9 Licitum est destruere signum maleficij animo destruendi pacti cum Dæmone initi, & obtinendæ sanitatis. Imò potest interrogare alium maleficum, an norit, in quo tale maleficium consistat, ut signum destruat. Quòd si ille ignoret, minime potest induci, ut per suam artem id inuestiget. Tamen si id didicerit à Dæmone, fas est ea scientia uti, *lib. 7. tota disp. 96.*

Maritus.

1 Maritus potest vindicare vxorem ab alio detentam, adiecta causa iuris canonici, & diuini, *lib. 9. disp. 4. nu. 9.*

2 Maritus cognoscens vxorem suam inuitam post mutuū castitatis votum, peccat contra iustitiam, *l. 9. disp. 40. n. 20.*

3 Maritus adulter perdit donationem propter nuptias, *lib. 10. disp. 8. nu. 11. & 12.*

4 Mari-

4 Maritus propriâ authoritate adulteros in delicto repertos enecans, licet sit iudex, admittit culpam lethalem homicidij contra iustitiam, & tenetur restituere damna instar aliorum homicidarum. Secus dicendum, si interficiat illos sententia iudicis sibi traditos, ut eos, si velit, necet, si non liuore vindictæ, sed iustitiæ zelo id efficiat. Quod idem dicendū, licet ille sit etiam adulter, *lib. 10. disp. 8. à nu. 35. vsque ad 44.*

5 Maritus potest, renitente vxore, se vendere, peccabit tamen mortaliter, si fiat venditio sine iusta causa, non tamen contra iustitiâ, sed, erit iusta causa, si vxor possit eum facile sequi. Vxor tamen vendens se sine consensu mariti, peccat mortaliter contra iustitiam, *l. 7. tota disp. 23.*

6 Maritus potest licitè simul cum vxore esse pater in Baptismo, vel Confirmatione, *l. 7. disp. 57. nu. 5.*

7 Maritus non potest mutare habitum sine licentia vxoris, nec vxor sine licentia mariti, v.g. induere habitum beatarum, vel heremitarum, *l. 9. disp. 3. nu. 9.*

Matrimonium.

1 Matrimonium solet nuncupari sic, quia mulier nubit, ut mater efficiatur. Item vocantur nuptiæ, & connubium ab obnubendo, seu velando, quia quasi nube obtegatur virgo velamine quodam, dum benedicitur. Tandem appellatur coniugium ab effectu, eo quod